



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Flores Directorii Inqvisorvm

**Bariola, Luigi**

**Mediolani, 1625**

Consilivm Vndecimvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11434**

rum quidem esse de vago, & non de alienigena, & fraude cessante; Vel dicendum cum Sanchez loco citato num. 15. decisionem Concilij intelligendam si contrahatur in loco domicilij per multum tempus retenti, etiam quod animus sit ferè statim recedendi post Matrimonium contractum.

## CONSILIVM VNDECIMVM.

**P**etrus contracto per verba de presenti Matrimonio cum Lucia antequam illud consummaret, se absentavit, & in aliam provinciam se contulit, vbi Matrimonium cum Cæcilia de facto contraxit, & consummavit, sed secundo Matrimonio nullo judicialiter declarato, Cæcilia alteri viro à decem annis, & ultra nupsit carnali copula, & prole suscepta.

Successivè, Lucia nullitatem Matrimonij inter eam, & Petrum tanquam per vim, & metum, vt pretenditur contracti coram Iudice Ecclesiastico, intentavit, & declarari obtinuit.

Quæritur an Petrus, qui tempore contracti cum Cæcilia Matrimonij nullã de nullitate prioris matrimonij per Luciam prætenfa notitiam habebat, & consequenter se priori Matrimonio ritè, & rectè ligatũ credebat, vnde nõ poterat secundò Matrimonio consensum præstare, & dum illum præstitit nulliter etiam in foro conscientie præstitit, stante iam declaratione nullitatis prioris Matrimonij per Luciam obtenta, teneatur redire ad Cæciliam, vel potius possit de eius persona, sicut sibi in Domino expedire iudicaverit, disponere.

Si

Si Petrus, vt supponitur existimabat prius matrimonium esse validum, cum non potuerit ignorare ius, ac proinde deberet credere secundum matrimonium non valere, non videtur potuisse validè cum Cæcilia contrahere, quo fit, vt hoc posterius coniugium censendum sit nullum, ac prorsus irritum iuxta l. 15. qui putat de acquir. hæred., & ea, quæ tradunt Angel. impedimentum, tertio impedimento 13. num. 5. Syluest. Matrimonium 8. q. 13. dicto 5. in fine vbi contrariam sententiam cum hac conciliat Armil. verbo matrimonium num. 44. Nauar. in Sum. cap. 22. num. 56. in fine, Domin. Sot. 4. d. 37. q. vnica art. 5. concl. 3. Angles. in Flor. 5. par. de matrimonio q. 11. de impedimento Ordin. art. 3. dub. 3. & ex Canonistis Vincentius cap. cum in Apostolica de sponsal. & ibi Io. Andr. num. 9. Butr. num. 9. Anchar. num. 5. Panorm. num. 6. & alij, quibus etiam videtur fauere Ostiens. ibidem, si attentè legatur; Neque obstant, quæ in contrarium adducit Sanch. lib. 2. de matrimonio disp. 33. num. 2. & deinceps, quia tam ipse, quàm Couar. & alij ab ipso citati loquuntur, cum contrahens est dubius de impedimento secundi matrimonij, & alioqui quantum in ipso est, validè intendit contrahere: hic autem supponitur Petrum fuisse certum de impedimento, adeoque mala fide contraxisse, cum non posset ignorare se validè non contrahere, atque idcirco, vt benè loco citato monet Sotus non potuerit habere consensum necessarium ad validè contrahendum, vt ante ipso loco item citato benè monuerat Syl. qui videtur omnium optimè quæstioni respondere, & reuera si benè legantur auctores contrariæ sententiæ non videntur loqui in casu nostro, quia vt dixi, loquuntur de eo, qui dubitat.